

Q. K. 140^a 10^m

Acc.





CATALOGVS
EPISCOPORVM
HALBERSTADENSIVM, A CARO-
LI MAGNI IMP: TEMPORIBVS,
ad hæc vsq; contextus, missusq;

AD
REVERENDISSIMVM ET ILLV-
strissimum Principem ac Dominum, D: HENRICVM IV-
LIVM jam pridem Postulatum, & VIII. die Decembris, hoc
anno Christi 1578. introductum Episcopum eius Dicecese-
os, Ducem Brunsvicensem & Lunæburgensem &c. Aca-
demiæ Iuliæ Rectorem primum & perpetuum:
tum ad Decanum & universum Cathe-
drale Capitulum.

A
M. PANCRATIO CRUGERIO
Finstervaltensi, Academiæ Iuliæ
Professore.



HENRICOPOLI
1578.

Handwritten signature

No. 3327





Andem fama loqvax resolutis libera vinculis,
Qvæ pridem in vitæ secreta innexuit aula,
Omnia pervolitat, resonosq; enunciat ore,
Illum, illum properare diem, gratanteq; cœlo
Instare & terris, quò longi reddita compos
Voti, exoptatum juvenem vicinia passis
Rectorem accipiat portis, dominumq; saluter.
Qvem verò juvenem, qvalemq; ? ô gloria gentis
Antiqvæ, splendorq; Ducum, Dux Henrice Iuli,
Spes nova Saxonix, spes ô columenq; paterni,
Cui te præposuit Cæsarq; Paterq; Lycei:
Te favor expectat Procerum: tibi civicus ordo
Obvius ire parat: tibi templa ornantur & arces,
Festaq; lux latè sparsis indicitur agris.
Sic equidem ducebam animo, virtute monente
Ingenioq; tuo, neqvavq; tarda futura
Auspicia imperii, nec seros fortis honores
Magnificæ: hoc dudum memini, tua gaudia Musas
Iulidas sperare ausas, hoc poscere votis:
Vt quantum excelsi sapientia pectoris annos
Exuperat, tantum præcurrant sceptrâ virilem
A Etatem, firmumq; ævum, nunc munere lætæ
Divino, subitoq; bono, tibi garrula doctis
Fila movent plectris, imitataq; organa voce
Et celeres fasces, & opes gratantur inemptas.
Me quoq; mille jubent festivo carmina plausu
Edere: nec certè qvavq; mihi dulcius isto
Officio fuerit. sed enim fuga temporis obstat,
Qvod datur, aligeri, brevitaseq; adversa volenti.
Nam qvibus heu curis angor, qvo torqveor æstu,
Qvantum sæpe tero spacii, vel ut unicus aptè
Cudatur versus? qvid enim vulgata filebo?
Et tamen infelix, ut dulci incensus amore
Pieridum, qvondam frustra sudare solebam:
Sic nunc, dum Superùm mandata Poëtica nutu
Munia sustineo, ut Spartam, qvæ contigit, ornem

A 2.

Quam

Quam licet & possum, duros tolerare labores
Haud renuo, crebroque frico sine murmure frontem,
Fortunæ patiens, cuiusdam licet æquior arti,
Quo natura rapit, facilis quo pellicit usus.
Quin si cura Ducum Regumque fuere Poëtæ,
Cum colerent seclis illi melioribus artes
Ingenuas : quid non conandum hoc Principe nobis,
Cui plectrum Amphion, Citharam donavit Apollo,
Hermes verba regit, modulos arguta Thalia ?
Dum loquor, & quidnam cantem modò quæro, citato
Tempus abit lapsu, perniciosus alite vento,
Præfixusque dies radiis se tollit Eöis.
Cur non hisce prius rebus me ritè paravi ?
Cur expectavi famam, quam longius antè
Venturam rebar ? cur planè nulla futuri
Fabula me monuit, vel, si cui forsan in aurem
Haud vulgo retegenda potens immisit amicus ?
O quid agam ? quid sicca potest effundere vena
Tam subitò, dignum lectu præsentemque dignum
Læticia ? nil tale quidem sperabis. I V L I :
Quod tamen in promptu est, faciam, referamque piorum
Nomina Pontificum, quorum successor honores
Officiumque capis (res gestas ordine pandat
Ditior ingenio) sic cum generosa legetur
Majorum series, præclaraque signa patebunt
Virtutum studiumque pii : lætabere tantis
Successisse viris, & eorum noscere facta
Plura aliunde voles, meritisque simillimus esse.

Principio Francus, cui bella ingentia Magni,
Magnaque cognomen virtus dedit, inclytus auctor
Germano imperii, fidei Borealibus almæ,
Egregius Francus, fama super æthera notus
Tum, cum vita fuit, nunc ætheris incola, terris
Perpetuò venerandus : is est, qui pleraque templa
Saxonicis victor Cathedralia condidit oris,
Mirandisque opibus, sceptrisque potentibus auxit.

Qvalis

Qvalis in Aonidum fundanda I V L I V S arce
Ille tuus pater est hodie, dum splendida Phœbo
Hospitia & Musis, sed sc̄q̄ parare perennes
Nititur, haud curis parcens, neq̄ sumtibus ullis:
Talis erat, tanto fervebant pectora zelo
Devotas condendi ædes, passimq̄ locandi
Sanctæ signa crucis, vitæ monumenta repertæ.
Iamq̄ armis aliquot domito per lustra Visurgi,
Struxerat Osnabrugæ Petri memorabile fanum,
Transieratq̄ annem, validasq̄ subegerat urbes
Finibus Hercyniis junctas, populisq̄ Cheruscis:
Cum pius hic etiam gentem miseratus agrestem,
Ignaramq̄ Dei veri, mollire laborat
Pectora doctrina, & sacri fundamenta templi
Altera molitur, qva lato vertice canus
Bructerus, ad Boream conversos despicit agros,
Cultaq̄ piscosus per rura vagatur Ilissa.
Nunc Ostrevicum dicunt: tum prisca Salingam
Urbem appellabat, nec erat mala nota, loqvela.
Primus præficitur sacris, populoq̄ docendo
Vir pius & sapiens, Physiorum è gente vetustæ
Nobilitatis avos numerans. clarosq̄ parentes
HILDEGRINVS. ei divus Ludegerus, & ipse
Præsul, frater erat: fidis certissimus auctor
Consiliis habitus Vitichindo sæpe, nec aula
Cæsareæ ignotus, meritisq̄ insignis uterq̄
Noster at, in sacro bis bina decennia postquam
Munere confecit, cathedram positurus & arcem
Commodiore loco, vicinam migrat in urbem,
Holthena quam liquidis mediam secat algidus undis,
Felicem & populis & divitis ubere glebæ:
Sive ea dimidii nomen, sive Albis & Oræ,
Sive habet Alberti (variat sententia doctis)
Nunc Halberstatum est, & nunc se pandit Ephebo
Lætior, atq̄ olim seniori. septimus illi
Accessit fatis annus, somnumq̄ petivit

A 3

Principi.

I.
Hildegria
1146 a.



2. **Principium vitæ, terris subductus ad astra.**
Tiagrini Succedit **T I A G R I N V S** ei, qui rexerat Abbas
Addictos claustris, jam longo tempore, fratres.
Scilicet hæc illis tum docta fuere Lycea,
Castraq; virtutis, quæ sancta modestia morum,
Simplicitasq; decens, & candor, & inscia fraudis
Incoluit probitas, ubi sobria pectora nata
Religio, & stabilem fixit sapientia sedem.
Hinc Reges fidos Comites, hinc sumere gentes
Rectorem solitæ: donec malus omnia vertit
Luxus, & in turpes abiere sacella culinas,
Lustra q; furtivæ Veneris, lucricq; tabernas.
Cum primum ad summos oratus venit honores,
Cœpta Hildegri, juvenis majoribus urget
Viribus, & Cathedram stabilit, satagiteq; docendo
Vicinos etiam Slavos adducere Christo.

3. **Haimo.** Sed cupido mors antè manum vimq; intulit atram.
Tertius **H A I M O** fuit, Monachus Fuldaus, & Abbas
Antè quoq; Hirsfelti, quàm ditior infula crines
Cingeret. At quæ fama viri! quæ gloria magni
Præfulis: Haimonem norunt occasus & ortus:
Haimonem Boreas celebratum audivit, & Auster.
Nunc etiam vivit, neq; lethum sentit heros,
Quàm præclara diu nonnullis scripta legentur
Ejus, & in magnis rebus versata docebunt
Ingenium ac curas: quanquam putris ossa peredit
Iam pridem situs, & cineres humus imbibit uda.

4. **Hildegri-**
nus. O quanti est sensus doctis mandare libellis,
Charteaq; artificum signis monumenta politis
Præferre, & statuis: Post tantum lumen & ingens
Augmentum fidei, jam quartus Episcopus, alter
H I L D E G R I N V S adest, & septem penè regenda
Lustra explet, sequiturq; trium vestigia patrum,
Doctrinæ invigilans, & civibus oia præstans.
Qvalis at, in victo quo tum Germania Rege
Gaudebat, sævos ibat Ludovicus in hostes

Vandali-

Vandalicosq; greges pugna funderat aperta:
 Talis in infestum divinis cultibus agmen,
 Assuetum pugnare dolis, linguaq; veneno,
 Ibat ovans, telisq; precum, verbiq; fugabat.
 Proximus E V I L P V S, ter trinis praeuit annis
 Officio, generis splendorem lenibus augens
 Imperiis, curaq; gregis rerumq; fideli.
 Laude S I G I S M V N D V S, qui sceptrum gessit ab illo,
 Inferior nulli, nulli virtute secundus,
 Major erat multis. in plebem largus egenam:
 Mitis in afflictos: temerè peccantibus asper:
 Erranti facilis: nulli non comis: acerbus
 Osor desidia: studiis patronus honestis:
 Doctrinae custos. morum sanctissimus auctor.
 Si quis & hoc laudat, pingendi nobilis arte
 Lumina Parrhassii, ductus aequabat Apellis.
 Nec viles operas magnus despexit: habebat
 Pro lusu, carbonem agilem, mixtosq; colores:
 Pontificisq; sui manibus confecta tabella
 Plurima, selectis ornabat templa figuris.
 Pictores date thura viro, festamq; sacrate
 Manibus, immiti qua raptus fuerat, lucem.
 Multus honos vobis à tanto accedit alumno.
 Septimus Henrico mandante fit Aucupe Praeses
 Nobilitate potens longa, & dominator ad Albim
 Burggravii titulo B E R N A R D V S. hic inclytus æde est
 Hadmerislebia, castas habitare puellas
 Quam voluit, primusq; novam est molitus, opumq;
 Ditavit cumulo. Gerone à fratre vetustum
 Nomen adhuc retinent, fundatoremq; loqvuntur
 Mœnia, in Hercyniæ montano prima recessu.
 Tertius è turba fratrum Sigefridus, amicæ
 Pacis amans, celsas Groningæ condidit arces,
 Atq; illas factis moriens addixit & aris.
 Obtinuere datas Missæ: jamq; inclyte fient
 Dux Henrice tuæ: longos hinc jura per annos

5.
Evilpus.

6.
Sigismundus
L.

7.
Bernardus

AEqva

8. *Hildebrandus.* Aequa dabis populo: hic studiis gravioribus usum
 Dulci oblectabunt Bodanæ carmine Nymphæ.
 Qui sequitur comitis titulo præsignis, equestri
 De genere HILDVARDVS, Magno concedit Othoni
 Iam grandi senio, quæ per tot lustra roganti
 Poscentiq; gravis constante negaverat ausu
 Bernardus. cupidis tandem ergo cedit Edittæ
 Res votis, nostrorumq; solo caput ardua tollit
 Parthenope majorq; sua fit filia matre.
 Tunc etiam humani sceleris pertæsus, & ira
 Fervidus ingenti, contagia sparserat ægra
 Omnipotens, passimq; malo mactata ruebant
 Funera præcipiti, nec erat medicina veneno:
 Haud secus atq; hodie. Pater ô Pater optime parce,
 Nec noxæ cladem, poenasq; erroribus æqua.
 Pœniter admissorum: ô sit brevis ira parenti.
 9. *Arnoldus.* Accipit hinc regni prudens ARNOLDVS habenas,
 Laudatusq; regit. nonæ trieteridis anni
 Exierant, morbi cum pondere victus & ævi,
 Triste suis desiderium lacrymasq; relinquit.
 Hujus opus templum quod Divæ matris in urbe
 10. *Brantogium.* Nomen habet Media, & pinna quadrivertice candore
 BRANTOGVS insequitur, quem rursus maxima, Fulda
 Ex Abbate pio, celsæ doctrina Cathedræ
 Intulerat: sive hunc antiquo è stemmate mater
 Sustulit, ac clypeo proavito insignis & armis
 Docta pater castris præferre sacraria iussit:
 Sive (negant etenim verum se scire Camœnæ)
 Traxit ab obscuris humiles natalibus ortus:
 Sat celebris virtute sua, sat nobilis ipso
 Se fuit, atq; animi donis, meritisq; superbis.
 Sanctum quæris opus? Baptistæ nomine clarum
 Cœnobium superest. hujus prægrandia mole
 Saxa vide congesta: pias mirabere curas,
 Quodq; auri tam nulla sitis, tot victa laborum
 Pondera, florent ut sacra: fatebere magnum.

Quid

Quid loquar, ut Solymas peregrinus viderit oras,
Multa mari passus terrisq̄, ut tangeret almæ
Ligna crucis, sanctoq̄ Dei daret oscula busto?
Felix, qv̄i mores multorum vidit & urbes,
Experiensq̄ domum rediit. sed curat avarum
Ista nihil fatum. cui latro pepercit & æquor
Vndisonum, in tuto Lachesis necat effera lecto.
Exin B V R C A R D V S felici sidere mitram
Accipit undecimam, Bavaræ de semine gentis
Illustris fortisq̄ comes. sed dulcia bello
Ocia præponit, libris addictus & aris,
Communemq̄ dies vigilans noctesq̄ salutem.
Ut facere optet idem B V R C A R D V S posse secundus,
Tristis ubi sævo regnat Bellona tumultu:
Non ista fruitur divino munere sorte.
Cætera par summis: nisi quod clari insuper exors
Stemmat. ex humili ad tantos ascendit honores,
Gostianus civis, veteri cognomine Bucco.
Sic aliquo blandita illi fortuna favore est:
Qvem tamen, heu nimium male fida. timendaq̄ semper,
Postea destituit, cum civica bella vetantem
Nescio quæ diro fixit manus impia telo.
Ille cadit, fœdusq̄ solum comitesq̄ cruentat,
Dignus fato alio, melioremq̄ vivere seculo.
Nec tranquilla magis successor tempora vidit
D E T M A R V S, illustri generoso à Cæsare sedi
Impositus. nondum Latialis jura Tyranni
Agnorant Proceres, nondumq̄ superba pavebant
Fulmina mortalis dextræ. jus Cæsaris unum
Illud erat Clericq̄, duces accire sacrorum,
Quos vellent, & quos aptos dignosq̄ putarent,
Ille ergo eligitur, quo non præstantior alter
Voce ciere animos alti ad commercia cœli,
Inde Sophistarum fallaces solvere nodos,
Tum positas etiam leges moresq̄ tueri.
Quod si pax terras fovisset blanda, vel illi

11.
Burcardus
1.

12.
Burcardus
11.

13.
Detmarus

B

Lon-

14. Longior in vivis etiam mora: notior esset.

Herrandus Talis & HERRANDVS (Stephani super addere nomen
Huic quosdam annales videas) & talibus usus
Penè fuit fatis: qui dum solatia menti
Quærit, in adversis bellorum motibus agræ:
Abdit Ilisburgum sese Phœboq; sub altis
Rupibus, in sylva frondente, palatia sacrat.
Affluit agminibus densis juvenumq; virumq;
Turba, Patrum studio legumq; incensa. sed illum
Febris anhela necat, cum jam vix tertius annus
Fundentem audiret mollito verba liqvore.

15.

Remardus

Nuper ibi ex docto Gallorum Helicone reversus
In patriam REINARDVS erat, vir nobilis ortu,
Indole nobilior, quam rerum plurimus usus
Consilio, varia doctrina instruxerat arte.
Huic diadema datur. Sed non mæroribus ille,
Nec calamo & libris, solisq; ad numina votis
Res confessus agi: turmas conscribit equestres,
Et peditum cuneos, armatisq; obviis armis
Audacter properat, pallam calicemq; relinqvens
Flaminium invalidis, nec natæ ad fortia turbæ.
Est nemus umbrosum, Germani Martis in arvo,
Mansfeltum vocitant, sylva est Gvelphonia dicta,
Cæcæ, creber ubi terræ scrutator & imi
Fermè Orci, dum fulvum aurum, plumbiq; metalla
Eruat, in tumulos vilem convectat arenam,
Massasq; impuras illic prope robora saltus
Ultima, planicies qua sese extendit aperta
Liberasq; arboribus, densos fremebundas in hostes
Fertur, & insigni potitur per vulnera palma.
Ut rediit, sacra tuta colit, cupidusq; quietis
Loricam Superis & fidum devovet ensem.
Post hunc, ut fama est, precio mercatus honorem:
Ut res est, illum Ludero à Cæsare nactus
Otho Pontifice invito, paucis Otho præsidet annis,
Rejiciturq; icu Romanæ faucibus iræ.

Nuper

Nuper id extortum diris & fraude, Calixtus
Alter, ab Henrico quinto, pro jure ferebat,
Non posse Augustum, cui rerum maximus omne
Imperium terris rector dedit, esse patronum
Templorum, dignisque sacros decernere fasces,
Quos legere sibi unanimis suffragia cœtus.
Sed rediit fortuna viro, sedi que priori
Fautrix restituit, Papa mandante, secundus
Nomen ab innocua qui sum sit amabile vita.
Multa dies variat, multosque alterna revisens.
Perculit, & solio rursus fors intulit alto.

RODOLPHVS sequitur, cui cordi ante omnia vatis

17.
Rodolphus
I.

Carmina Iessæi, quæ docto, ut secula ferebant,
Explicuit calamo. sed eidem virginis ædes
Præcipuum ornatum debet: tum strata viarum
Invia, non tenui commendant nomina laude.

18.
Ulricus.

Infelix VLRIE subis, post prælia læta
Successusque aliquos, victore à milite captam
Nate videre urbem, rectorum incendia nullo
Fonte premi, juvenum stagnare senumque cruorem,
Everti veteres gazas, tibi turpiter ipsi
Circum hæere manus, & obesum vincula collum.

Quis fuit ista ausus? quis duro pectore tantum
Indulsi Marti? calidi Leo sanguinis, ultus
Auctorem belli, cædesque, nefandaque damna;
Pars generis Leo luxque tuæ nove Præsul. acerbis
Sic certant Patres odiis, rursusque benignis
Mentibus, aut ipsi aut coeunt in fœdera nati.

Prosperior curis, miseras sarcire ruinas,
Omnibus aggreditur THEODORVS & ardua tota

19.
Theodorus

Cœpta urget vita: doctrina nobilis idem,
Et bonus eloquio, & morum gravitate verendus.

Nec studia hæc levius BARTOLDVM, operaque fatigant. Bartoldus.

Sed brevior lucis concessæ usura, labori
Non nisi septenos patitur superesse per annos.

Turre tamen duplici quod adhuc petit astra, dicatum

B 3

Martino

21. *Cunradus* Martino templum perfectumque illius omne
 Auspiciis forsan tibi longius arguat ævum.
 At quæ consilii ratio C V N R A D E, quod Argo
 Deseritur, cuius clavus modò sumtus, opemque
 Pignora poscebant, animo confisa fideque
 Nauta perite tua? ventinè timentur & undæ?
 At nisi sint fluctus, quis Tiphys usus in arte?
 Sed te religio Monachali in veste movebat,
 Iratum placare Deum cœlumque mereri
 Credita: nequicquam, in sordes texit amictus
 Purior, & roseo Christi stola sanguine tincta.
 Non temnenda tamen virtus: cum Thracia cepit
 22. *Fridericus* Regna comes Flandrus, Martem miscere solebas
 Cum Sarracenis. Melior FRIDERICVS ad artes
l. Marchio Imperii, melior prohibere pericula cymbæ,
Kirchber. Tyrigetum sanguis, Chirchberga gloria gentis.
gi. Marchioque, egregiæ famæ. quo præside tandem
 Aurea pax urbes, & templa revisere cœpit,
 Attalicas invexit opes. Sed regna tenebat
 Vana superstitio, multos formidine terrens
 Attonita, exhilarans paucos, sed perperam utrosque
 Fama refert (mirum) guttas stillasse cruoris
 Nescio quo pago, guttas has excipit aurea
 Antistes patera, fanisque importat & aris,
 Egressus pedes innumeris cum millibus: antè
 Mille cruces, tædasque gerit, vexillaque Clerus:
 Lata canunt omnes: lætus ferit æthera clamor.
 Adjuvat hanc pompam Magicæ non inscius artis,
 Ut perhibent, Ianus cognomine Semeca, Legum
 Vtilis interpres tum passim creditus, idque
 Pontifici dominoque suo, quod fidus Achates
 Teucrorum quondam Regi. Si carmina vatum
 Temporis illius, laudumque encomia nosse
 Haud piget: ista leges tumulati incisa sepulcro:
 „ Est, erit, atque fuit, qui desit esse Ioannes,
 „ Lux decretorum, dux Doctorum, & via morum,

Hic

„ Hic jacet, & placet, vt vacet à pœnis miserorum
 Et tamen in precio cum carmine constitit auctor.
 Nunc, ut carmen ament nonnulli, auctoris honores
 Fert alius, famamq̃ fames præcurrere visa est.
 Promptus ad arma Comes Sladæ **LVDOLPHVS**
 Proximus eligitur. magnus dominator Haveli
 Sensit Otho, quid tela viri, quid dextera posset.
 Sed properè è vivis exemptum summovet annus,
 A folio, Octavus: successoremq̃ reponit
MEINARDVM Cransfeldum. illi dupla penè Sorores
 Stamina dispensant triplices, lætaq̃ vacanti
 In pace, aut libris aut regni rebus, ut æquum
 Pontifici, aut etiam sectandis per juga curva
 Nobilium de more feris, consumitur ætas.
 Tradita **LVDOLPHO** tum sceptrum fuere secundo,
 Sladenses iterum, qui tanto insignis honore,
 Condecorat titulos. sed adhuc minus integer ævo,
 Impatiensq̃ oneris **VOLRADO** cedit hic alter
 Cransfeldus genere est, viciorum acerrimus osor,
 Interim amans hominum. non illo vindice dirum
 Fert impunè nefas quisquam, nec torta flagella
 Sæviciæ queritur, quem mens improvida lapsam
 Egit in humanum: constant sua præmia recto:
 Supplicium improbitas patitur: veniam accipit error.
 Hic patris in natos animus: sic corpora curat
 Arte Machaonia felix usuq̃ medendi,
 Sana fovens succis, affecta & langvida curans,
 Ense secans atrox atq̃ immedicabile vulnus.
AEnulus exemplum sequitur, mitisq̃ videri
 Et gravis exoptat pariter, floretq̃ cupitis
 Laudibus **HERMANNVS**. sed & hanc pius adjicit illis,
 Nemo cœnobiis quòd pluribus auxerit urbem
 Ditâritq̃ magis. Pluvia de rupe (vetusta
 Arx ea, de vivo cujus penetralia saxo)
 Nunc quoq̃ nomen habet Comitum generosa propago,
 Quorum sanguis erat. fatis felicibus usum

23.
 Ludolphus
 Comes
 Sladæ.

24.
 Meimar
 dus Crans
 feldius.

25.
 Ludolphus
 II. Sladius.

26.
 Volradus
 Cransfel
 dius.

27.
 Herman
 nus Comes
 Regenste
 nius.

B 3

Atropos

Atropos undecimo telluri destinat anno.

Parc tamen astra petit melior: neq̄ postuma fama

28. *Albertus*
I. Ascanius Tota abiit terris, sed adhuc ex parte superstes
Hæret apud memores. **A L B E R T I** hinc ordine primi
Successere duo. mox namq̄ sequentur eodem

Nomine tres alii Prior altum & nobile traxit

Ascania de stirpe genus, longaq̄ beavit

Per quater undenas messes, per frigora brumæ

Frondisfluæ totidem, felices pace colonos,

Assvetus servire sacris, librisq̄ vacare

Et precibus: quoties clamosa negocia regni

Ociū fortè darent aliquid, seu vespere sero,

29. *Albertus*
II. Dux
Brunswic. Seu primum surgente mari, pronasq̄ fugante
Lucifero stellas. **A L T E R** prælustis **I V L I**

Tecum prisca eadem repetens primordia gentis,

Et niveum in clypeo, Brunonia signa, caballum

Ostentans, Lybicasq̄ feras, pennasq̄ nitentes

Auratæ impositas statuæ, falcesq̄ recurvas,

Alberto genitus, quem Pingvem à corpore dicunt:

Quàm pacis studiosus erat, tam fortis in armis

Emicuit nitidis, cum ferri posceret usum

Tempus, & æratas ultricia bella catervas.

Damna ferox urbi intulerat, prædaq̄ frequente

Vicinorum aliquis Comitum terrebat agrestes,

In dominum minor arma gerens, hostemq̄ professus,

A Eternosq̄ odiis animos, extremaq̄ damna.

Hunc contra egreditur, pugnamq̄ capessit. at ille

Terga fugæ committit, & in sua lustra resultat

Avius: ut lepores timidi veniente Leone.

Nec tamen usq̄ virum texit nemus. obvius illi

Ductor in aprico factus quidam æqvore campi,

Opposuit vehemens aciem, teloq̄ peremtum

Stravit, & infixâ truncum suspendit ab hasta,

Quippe Comes minitans, Præfectum, dixerat, istum

Deprehsam, faciam nodoso stipite sylva

Alliget, incurvis quæ stabit proxima ramis.

Dixerat:

Dixerat : at fatum versum , passusq; superbam
Quam tulerat legem, infelix onus intulit hastæ
Ipse : quod offerret se nulla propinquior arbor.
Tempore ab hoc placidam pacem Brunonius hero
Suffecit terris, recti defensor & æqui,
Flagitiiq; hostis fervens, cui publica rerum,
Lex suprema, salus, & egentis commoda plebis :
Cui decus Aonidum non ultima cura , benignus
Hospitis ante alios, viduæq; orbiq; patronus :
At pietatis amans, quantum vel postea quisquam,
Vel quisquam ante fuit. Felix ubi lustra peregit
Terna bis in Cathedra, fatis concessit, & ædem
Auxit eam tumulo, quam busta tenere nepotum
Magnanimus quondam voluit Leo. limpidus undis
Præterit hanc Occar, veteri Brunonis in urbe :
Et juxta saxo stantem candente Leonem
Pandere miratur puer ora, nec edere voces.
Scilicet æs fustum est, monumentum illustre Leonis.
Qui sequitur deinceps, tricesimus ordine gessit
Pontificale pedum, Misnensis Marchio gentis,
Tyrigetumq; Comes summus L V D O V I C U S. At annis
Præ fuit octonis tantum, nam splendida Mogi
Plus placuit sedes : quam jussus cecit Adolpho,
Bambergamq; tulit : tandem illinc venit ad Albim,
Parthenopenq; habuit. Laudem non denegat illi
Historia : at tristem celerarunt fata ruinam.
Quæ Sala raucus aquas majoris fluminis auget,
Urbs jacet, à fluvio, si rectè colligo, nacta
Nomen utroq; : licet Calbensen Teutona dicat
Lingva hodie, quondam quæ forte Salabia dicta est.
Hic ubi concilio Præcerum de more coacto
Dat solenne epulum, longoq; recinctus amictu
In brevioris toga graditur, digitisq; puellæ
Innexus digitos, choreas ad tympana ducit,
Nobilium comitante manu, strepitumq; ciente
In numerum, dum mixta viris matrona vagatur.

30.

Ludovicus

Marchio

Misnie.

Dum

Dum risus, hilaresq; sales & júbila fervent:
 Fit fragor, & grandi saltantum pondere victa
 Subsidi, domus, & nutat, lapsuq; minatur:
 Territus horrisono crepitu, citus occupat oras
 Antistes primas, gradibusq; evadere tentat
 Ad terram pronis. Sed vix fastigia summa
 Presserat: ecce ruunt violento saxa tumultu,
 Præcipitantq; soluta viros, tunduntq; teruntq;
 Ille cadit, secumq; ingens trahit agmen, amica
 Sicut erat junctus Dominæ, prolapsus in ulnas
 Illius: at sparsus cerebrum, sparsusq; medullas.
 Mitra & zona procul sanie fœdata jacebant.
 Discite mortales, ô discite vivere fortis
 Ventura memores, nec abesse putate serenis
 Tristia, securos & inani perdere lusu
 Tempora consuetos, celeri sæpe hora ruina
 Obruit. heu tenui pendent nostra omnia filo.
 Tertius ALBERTVS, dum Rheni Marchio Nymphas
 Et Mogi, Holthemis præfert, Bodæq; Napæas
 Posthabet Albiacis: sceptrum virtute meretur
 Ingeniisq; bonis. Pater huic habitabat in agro,
 Remeia villæ eni nomen, & arva terebat
 Bobus arata macris non maxima. filius ergo
 Remq; decusq; sibi pariturus, numina cultu
 Sobria prosequitur Musarum, Bacchica vitans
 Pocula & ignavam Venerem, mentemq; politis
 Artibus exornat. nec fallitur artibus illis
 Crevit, Apollinea redimitus tempora lauro
 Vrbe Parisiaca, Doctorq; creatus: at altæ
 In patria impositus Cathedræ. Vir cætera felix
 Laudatusq; satis, nisi quòd se improvidus armis
 Miscuit, Hildesum quæ frustra urfere Gerardum:
 A quo cum magno captus Duce, futile damnis
 Accessisse probrum gemuit: Se Rhetora victor
 Iactabat: Logices Albertus, acumine Princeps
 Omnium erat. tum fata virum quis vertit ad artes,

31.
 Albertus
 III. Rime
 viderpius.

Dietaq;

Dicta q̄ Rhetorice Logicen superasse. jocosis
 Hæc fuit in patrum notissima fabula mensis:
 Nunc silet, & Logici in Logicos certamina tollunt.
 Ille tamen liber remeat, nec mœsta quieti
 Arma magis præfert, accepto cautior ictu:
 Omnino positus Cathedrali in sede tot annis,
 Quot semel in gyrum Sol vertitur igneus horis.
 Nil movet ERNESTVM fortunæ casus acerba,
 Hercynium Comitem, de sanguine gentis, ab alto
 Quæ saxo cognomen habet. Dum vixit, in armis
 Vixit, vicino Friderico infestus, is ipsi
 Incubuit gravis, ipse illi, dum morte premente
 Post duo lustra ambos idem simul abstulit annus,
 Finivitq̄ odia. Ascania de stirpe, RODOLPHVS
 Ex hac gente alter, nec non & nominis alter
 Hujus, in extincti solium venit: æmulus optans
 Ernesti magis esse, sua quam gente creati
 Alberti, longæ cui quondam pacis amores
 Mitia Palladia decorarant tempora fronde.
 Ergo vel in civem lites intentat, & ictus
 Stringens fulmineos, jam diris devovet omnes,
 Iam prohibet sacris, ut aperta pericula Clerus
 A vulgo metuens, in devia rura recedat:
 Vel peditum cuneos Gunthero infestus, ad Albim
 Ducit & hastaras turmas, villasq̄ cremare
 Sustinet, ac nubem volitantis ad æthera fumi
 Immotis spectare oculis: mox passus & ipse
 Tale aliquid, populumq̄ suum non ferre minores
 Intuitus clades, donec fatum omnia vertit.
 At pius HENRICVS Varbergo oriundus, equestris
 Gloria militiæ, lumenq̄ illustre Baronum,
 E veteri celebriq̄ domo. nam Saxonis olim
 Hac quoq̄ terra domo sibi Regem aliquando subortis
 Optabat bellis, pacem sine Rege gubernans

32.

Ernestus I.
Comes
Hornstenius

33.

Rodolphus
II. Ascania
146.

34.

Henricus
Baro Var-
bergius.

C

Bis

Bis sex Principibus, quorum, cum Martius horror
 Ingrueret, diadema uni sceptrumque dabatur,
 Quosque aliquis jam tum inter erat Varbergus. hic ergo
 Ocia amat, curisque suis parit ocia terris.
 Non ille ex tenui vesanae iurgia faucis
 Lite ferit, subitastie manus ad praelia poscit,
 Cum quid livor edax carpsit, vel fraude dolosa
 Demisit avarities, regnandi que agra libido:
 Non ille, ut poterat, summum jus urget ubique:
 Sed paci, & rebus sapienter consulit aequis.
 At praedatorum, latronumque agmina sylvis
 Eruit Hercyniis, ferroque rotaque peremtum
 Pestiferum genus humanis a caetibus aufert.
 Ergo sub hoc artes & opes Antistite crescunt:
 Ergo vigent leges: tutusque sub arbore Solem
 Vitat quisque sua, maturos arbore fructus
 Quisque legit, segetesque domum convehat opimas.
 Longior o utinam tibi vita fuisset! honorum
 Crevissent tituli, nec fama celebrius ulli
 Annalesque darent nomen. quanquam o satis amplum est,
 Insignem virtute virum cum nobilis Auctor
 Dicit, & ante alios aeternum hac laude coronat.
 Successorem illi septem non longius annis
 Vernigeroda dedit, montanis ara cavernis
 Abdita recludens, ALBERTVM hoc nomine quartum,
 De Comitum numero. Cum milite cingeret arcem
 Infesto Hercyniam, Svicholda noxia genti
 Turba Ducum Procerumque, quibus commoverat iras
 Nescio quod fatum generosae stirpis: hic illis
 Affuit & muri partem quoque diruit, armis
 Lucidus, & galea. Quid? Praesul diruit arcem
 Holthemius Svicholdam? o quam divina potestas
 Rebus in humanis ludit, mirandaque versat
 Commutatque vices! nunc tu Cunrade, vetusti
 Dulce decus generis, felixque in gaudia nate
 Et famam, Svicholde, tuis, magis omnibus unus

35.
 Albertus
 III. Comes
 Verniger.

Præ-

Præsidium Holthemio firmas agro, arcibus, urbi:
 Dum regis ingenium monitis juvenile paternis,
 Et Latia ac Graja doctrina pectora ditas
 Principis Alberto qui jam succedit. Achillis
 Rector talis erat Phœnix, nec præmia parva
 Idem ab Achille tulit. Quid? morum aulaeque magistro
 Quid tibi si soboles rem magnam Iulia donet,
 Doctrinae in precium, & veteris solatia damni?
 Fasque piusque foret: sed non tam suspicis ista,
 Quam cupis, ut monitis respondeat inclyta virtus:
 Quod facit egregie, cautæ vis indolis usum
 Dum longè antevolat, gravitas memorabilis annos.
 Sed decus Hæmiadum jam tempus dicere IANVM,
 Quem vigor ingenii, virtusque favorque potentum,
 Intulit Heroum numero, celsoque locavit
 Præfulis in solio, Alberti post fata. Nec impar
 Tanto muneri erat. Seu turbida prælia crudo
 Marte cienda foris, seu danda clientibus æqua
 Iura domi, miranda animi documenta peracris
 Omnibus edebat: tam sumtis strenuus armis,
 Quam justus placidusque toga. Icit Leina, rubente
 Sæpe cruore tepens, cum sævo accincta flagello
 Bellona Hildesios petiit, graviterque cecidit:
 Scit nemus Hercynium, cum pugnans turba latronum
 Extracta est lustris scelerataque crimina tristi
 Morte luit, fracta, quam multa infederat, arce.
 Quid memorem patrio tractatos pectore cives,
 Quos fera dissidiis agitabat Erinnyes? in ipso,
 Plebs insana foro, veteris præclara senatus
 Lumina cædebat, cæsi que ferebat honores
 Improbus. ad pœnam fontes cum posceret ira
 Præfulis, objiciunt vallum atque infanda minantur.
 Ille animos stolidos partim miseratus & ausus,
 Partim indignatus sperni sua iussa, volentes
 Convocat auxilio Proceres, urbesque propinquas.
 Quæ victis tum pœna fuit? capita ense recidit

C 3

Pauca

36.
Ioannes
Hæmius.



Pauca, at jura aliis libertatemq̄ reliquit.

O favor! ô pietas reliquo non cognita seculo!

37.

Burcardus

III. Baro

Varbergi-

us.

Tertius inde subit B V R C A R D V S, at alter avitis

Varbergæ titulis clarus Baro. Quinq̄ peregit

Lustra, diu variæ fortunæ fluctibus actus.

Circum bella tonant, bellis circum omnia flagrant:

Ille tamen cautus, quantum licet, abstinet armis,

Nec nisi cum patriæ jam certa pericula poscunt,

Induitur galeam. simul hanc ut sumserat, hostem,

Ardenti sublimis eq̄vo, vultuq̄ minaci

Torvus, & horribilis præcutæ robore clavæ,

Territat, è gelido prosternens corda pavore.

Q̄vas strages pugnando dedit! q̄vos victor acervos

Perculit! infidiis tamen idem victus atrocem

Perfidiaq̄ dolis cladem tulit. aspera virtus

Non horret, multis dum proffit: honestaq̄ ducit

Vulnera pro patria. Q̄vòd si quoq̄ reliqua talis

Vita fuit, q̄valem nunc in seniore nepote

Illius, è fratrum stirpe orto, cernimus: omnes

Humano ac facili vicit candore: benignæ

Omnibus exemplum mentis fuit, omnibus æq̄vi.

38.

Gebhardus

Hæmius.

Nec minus Hæmiaci generis studet altera fama

G E B H A R D V S, veteres leges pacemq̄ tueri,

Arte togæ potius, q̄vàm Marte. Sed impia crescit

Seditio vulgi, rebusq̄ elata secundis

Pectora luxuriant procerum, dominumq̄ minorem

Non omnes reverenter habent. gravis ergo senili

Corpore, jamq̄ q̄vater q̄vinis ubi messibus annum

Addiderat, regni in spacio: sua jura resignat

39.

Ernestus II

Dux Sa-

xonia.

E R N E S T O, donatq̄ mitram, sceptrumq̄ verendum.

Ille, potens Princeps, Ernesto Saxone natus,

Cui Sala Thuringus partim, cui Misnicus Albis

Parebat, tum mille urbes ad flumina: Præful

Parthenopæus erat, juvenilibus integer annis

Et bello metuendus. Habet cur oderit illum

Q̄vedlinburga suo per vim spoliata Rolando:

Cur

Cur non laudet, habet fœcundis Halla salinis,
 Nunc opulenta minus, postq̃ pars maxima fructus
 Aulæ celsit, habet cur non desideret, ipsa
 Hemipolis submissa jugo. sed numinis ira
 Luxuriæ exegit pœnas, fastusq̃ superbi,
 Civilisq̃ odii & rixæ, fraudisq̃ potentum
 Et vis in miseros, veriç ante omnia Divûm
 Neglecti cultus. hæc sunt quæ mœnia telis
 Concutiunt gravius: quæ patrum libera jura
 Eripiunt natis, & motas sedibus urbes
 Vertunt cum populis. Maturo grandior ævo
 Ipse quoq̃ Ernestus pacem colit, æqvus in omnes,
 Et prudens rerum censor, magnumq̃ quietæ
 Saxonix jubar: in quem cuncti lumina vertunt,
 Quem cuncti auxilium rogitant, stabilemq̃ salutem.
 Quà jacet Albiata tumulatum corpus in æde,
 Magnificas animi curas, ex ære sepulcrum
 Arguit egregium, simulacraq̃ mitia vultus,
 Claraq̃ vivaci commendat nomina famæ.
 Quintus ut A L B E R T V S defuncti accepit honores:
 Nemo fuit toto nec major Præsul in orbe,
 Nec prior ingenio, doctæq̃ peritior artis.
 Cui cedat natus Brenneæ Marchio terræ,
 Tot Princeps populis? cui Mogi electus & Albis
 Septem vir, Primasq̃ sacer? cui prima galeri
 Gloria Cardinei? Quid factis illustrius isto,
 Quid conferre queas? quoties de rebus agebat
 Conventus magnis Cæsar, linguaq̃ disertâ
 Consilioq̃ acri promptus, numerosa regebat
 Agmina consultantum, ad pacem turbida flectens
 Pectora, nec leges violari passus. Ab oris
 O quantum avertit bellorum Teutona sæpe
 Terra tuis! quantum ô cum mors huic frigida venit,
 Imperium amisit columen, Procerumq̃ Senatus!
 Tres eadem porrò laudatos ordine misit
 Gens dominos, pariter Primatus sceptrâ gerentes

40.
 Albertus
 V. Marchi
 o Brande-
 burg Car-
 dinalis, Ar-
 chiepiscop.
 Magdebu.

41. Albiaci, pariter nimium celerantibus annis
 Ioannes Ereptos. Primus patruelis nuper ad umbras
 Albertus Milsii, & nomen habens patris & patruelis, avive
 Marchio (Nempe avus, Albertus Germanæ gentis Achilles:
 Brandebu. Patruus, Elector Baptistæ nomine vatis)
 Archiepis IOANNES ALBERTVS erat: cui publica cordi
 Magdebu. Pax etiam populiq; salus: prudensq; sub acri

Pectore consilium, nec agendis frigida rebus
 Cura, pigerue animus: quanq; miseranda premebat
 Sæpe valetudo, mentemq; hebetabat & artus.
 Quinq; illum videre sacris studiisq; vacantem
 Tranquillis hyemes: tum spes pia vota fefellit,
 Rupit & immiti lacrymoso funere Parca
 Cœpta probata viri. Ioachimo patre secundo,
 Cujus in imperii facundia nota senatu

42. Maxima, & in rigidos victoria strenua Turcas,
 Fridericus Proximus est natus FRIDERICVS, & ipse secundus
 II. March. Hujus, in hac serie regnantum, nominis hæres.

Brandeb. O juvenis cita fata pii! vix quattuor urbem
 Archiepis. Mensibus incoluit, cum turbidus Holthema lymphis
 Magdebur. Bodaq; cum Viadrus, cum Sævus, Havelus & Albis
 Fleverunt primo raptum sub flore juventæ:
 Fleverunt Musæ, & pullato Phœbus amictu.
 Utq; aliqua extarent tanti solatia luctus,
 Marmor, Phidiacæ doctissimus æmulus artis,
 Finxit in effigiem juvenis, niveumq; libellum
 Addidit, & lauros, Stephaniq; locavit in æde.

43. Deniq; Diis vultu similis, generatus eodem
 Sigismund. Patre SIGISMUNDVS, sed non & matre (Polonæ
 II. March. Scilicet hanc gentis series clarissima Regum
 Brandebu. Edidit, hæcq; eadem peperit tibi Iulia matrem
 Archiepis. Progenies Henrice) subit, meliusq; dolores
 Magdebur. Solatur fratris statua. Quæ Præfulis esse
 Cura potest, quamcunq; fidem studiumq; quis optet,
 Præstitit, & laudes meritis cumulavit avitas
 Immensis. heu, quod terris invidit Olympus

Hoc

Hoc decus, hoc lumen tam præceps! optima quæcūq;
 Heu quòd prima ruunt! Qvis nunc, qvis tristibus addet
 Rebus opem? qvis sceptrâ geret? qvis sancta beabit
 Veris templa sacris, pacemq; & jura fovebit?
 Quò me vertam? ecquid reliquum solâ minis vsq;
 Has aliquis gemuit voces: sic patria q̄vesta est:
 Cum te sollicitis Procerum suffragia votis
 O jubar: ô nostri spes ævi maxima I V L I!
 Designant, poscuntq; Ducem, cupideq; requirunt,
 Quantumvis tenerum, quantumvis mollibus annis.
 Tantum adeo pueri promittunt lumina: tantum
 Spondet amabilitas, & pulcro fulgor in ore
 Regius, ingeniiq; vigor, qvi præterit annos.
 Felix, ô iterum felix vox illa, Deiq;
 Auspicio tribuenda, tuum quæ protulit inter
 Nomina tot nomen prima, atq; excepta favore est:
 Interea FRIDERICVS onus, post fataq; magni
 Deplorata viri LVDOVICVS uterq; Decanus,
 Lumen uterq; chori, & Breizæ gloria gentis)
 Sustinet eximium, rerumq; sagace gubernant
 Consilio summam. Quid docti pectoris artes?
 Quid placidos animi motus, insigneq; recti
 Commemorem studium? audiui cum diceret illis
 Pro magnis grates meritis, non una canoro
 Nuper lingua sono. Qvin tanto turba labori
 Cætera se sociam jungit quoq; singulaq; optant
 Membra sacri capitis corpus servare. Sed omnes
 Te tamen ô tandem, te spes HENRICÆ futuro
 Præsule major habet: te mente oculisq; requirunt
 Cunctantem: tibi nemo moræ vult longius obstant.
 Ingredere auspiciis felix Divûm, optime Princeps:
 Ingredere, & cuncti quæ sperant, gaudia firma.
 Pax tecum prædives opum, legumq; patrona
 Iusticia, & Pietas, cœli cui tradita clavis,
 Introëat: comites se mitia numina præstent
 Musæ Iuliades, Phœbusq;, Artesq; disertæ,

Decani
 Fridericus
 & Ludovicus,
 Brei
 Zai.

44.
 Henricus
 Julius, dux
 Brunswic.
 & Luceb.

Cultrices

Cultrices animi, matres recti atq; decori.
Lenta manum stringat properantia : stipet utrunq;
Cura severa latus : Ipar sis caput obtegat alis
Clemens vis animi, & rerum Prudentia reſtrix.
Ponè volet niveis pulcerrima gloria pennis,
Et decor & laudes : canisq; ſeneſta capillis
Nefloria, at longè reliqvis ſejuncta, virisq;
Robore par validis, extremum finiat agmen.
Hæc precor, hæc facili Deus audiat aure : piisq;
Det majora bonus votis. Sic laudibus omnes
Fortunisq; duces cum viceris, infula quorum
Ambit honora comas, & qvos modò diximus : olim
Forſan & ipſe tuum meliori carmine nomen
Pro meritis ſuper aſtra veham, famæq; ſacrabo
A Eternæ. modò ne toties vocitatus Apollo
Deſerat hærentem : neu ſit tibi noſtra pudori
Muſa humilis, ſemperq; infelix cura Crugeri.
Qvanq; ſi faveas Princeps mihi, mite ſeqvetur
Principis exemplum, pariterq; favebit Apollo.



ULB Halle
002 613 905

3




Handwritten mark



Xg 1488. 67





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ALOGVS
PORVM
NSIVM, A CARO-
P: TEMPORIBVS,
ntextus, missusq̄

AD
IMVM ET ILLV-
minum, D: HENRICVM IV-
m, & VIII. die Decembris, hoc
tum Episcopum eius Dicecese-
& Lunæburgensem &c. Aca-
n primum & perpetuum:
& universum Cathed-
apitulum.

A
LO CRUGERIQ
, Academiae Iuliae
ffore.



COPOLI
7 8.

3327

Handwritten signature or note.